Instinctuque tui, da quoque plurimos
IOHANNIS CASIMIRI similes Duces
Et terræ huic, alijs & regionibus,
Sub quocumque iacentibus
Sole, vt continua sint serie super,
Sub magnis Ducibus, sed sine inanibus
Figmentis, valeant dogmata qui tui
Verbi tradere publicè.
Claudenti has lacrimas sit mihi fas, tuo
Busto versiculos hos superaddere,
IOHANNES CASIMIRE, inclitæ Principum
Lux & gloria Teutonûm.

IOHANNES iacet hic CASIMIRVS; cetera Iberus,
Eridanus, Tamesis, Renus, Ararque sciunt.

Epitaphium FRIDERICI II. Imperatoris, accommodatum Heroi præstantissimo,

IOHANNI CASIMIRO,

cuius est & erit semper memoria in benedictione, & laus in ecclesia sanctorum:

Si Probitas, Sensus, Virtutum gratia, Census,
Nobilitate orti, possent obsistere morti;
Non foret exstinctus CASIMIRVS, qui iacet intus.

Instinctuque tui, da quoque plurimos
IOHANNIS CASIMIRI similes Duces
Et terræ huic, alijs & regionibus,
Sub quocumque iacentibus
Sole, vt continua sint serie super,
Sub magnis Ducibus, sed sine inanibus
Figmentis, valeant dogmata qui tui
Verbi tradere publicè.
Claudenti has lacrimas sit mihi fas, tuo
Busto versiculos hos superaddere,
IOHANNES CASIMIRE, inclitæ Principum
Lux & gloria Teutonûm.

IOHANNES iacet hic CASIMIRVS; cetera Iberus,
Eridanus, Tamesis, Renus, Ararque sciunt.

Epitaphium FRIDERICI II. Imperatoris, accommodatum Heroi præstantissimo,

IOHANNI CASIMIRO,

cuius est & erit semper memoria in benedictione, & laus in ecclesia sanctorum:

Si Probitas, Sensus, Virtutum gratia, Census,
Nobilitate orti, possent obsistere morti;
Non foret exstinctus CASIMIRVS, qui iacet intus.

ORATIO DE VITA ET MORTE

Illustrissimi ac Potentissimi Principis & Domini, Domini

IOHANNIS CASIMIRI

Palatini Rheni, Tutoris & Electoralis Palatinatus Administratoris, Ducis Bauariæ &c.

PATRIS PATRIAE:

Conscripta à

VIRINO REVTERO Mosbachense Collegij Sapientiæ præceptore, ac in eodem recitata

IV KAL. FEBR. ANN. CIↃ. IↃ. XCII.

PSAL. CXII.

In memoria sempiterna erit iustus.

HEIDELBERGAE

Typus Abrahami Smesmanni,

Impensis Henrici Auenæ.

Memoriæ & Honori
Christianissimi Principis ac Herois fortissimi
IOHANNIS CASIMIRI
Palatini ad Rhenum, Ducis Bauariæ,
Electoralis Tutoris & Administratoris sollertissimi,
PATRIÆ PATRIS,
Ecclesiarum nutricij fidelissimi, Scholarum literarumq;
Mecænatis beneficentissimi, libertatis Germanæ
vindicis acerrimi, Rebus bello pacq;
gestis inclyti,
Principis omnibus modis summi, Dominique
clementissimi,
quod potest, dicat & consecrat
Obseruantiæ subiectissimæ, gratitudinisque
debitæ ergò
Quirinus Reuerus Mosbachensis.

ILLVSTRI AC GENEROSO
DOMINO FELICI SLVPEZKY
DE CONARI ET OPOLE, &c.
Domino, & Comp. ſumma obſeruantia colendo.

ILluſtris & Generoſe Domine: Ferunt Alexandrum Magnum, cum Achillis monumentum in Sigæo ſpectaret, inuidia æſtuantem exclamaſſe: O te fortunatum, qui Homerum tuæ virtutis præconem inueneris. Eundem aiunt ex omni numero pictorum & ſtatuariorum, licet ætas illa plurimos tulisſet, nonniſi præſtantiſſimis duobus, Apelli & Liſyppo, illi pingendum, huic fingendum ſe præbere voluiſſe: nec id gratiæ causâ, ſed quod illorum artem ſibi gloriæ fore putaret. Hoc eius iudicium, vt alij omnes, ſic & ego laudandum cenſeo. Magnis enim principibus magni conueninnt artifices: clariſſimi viri clariſſimos encomiaſtas deſiderant. Itaque velim ſummo noſtro Principi IOH. CASIMIRO, ſummos oratores, poëtas, hiſtoricos, & dignos eius laudum buccinatores contingere: imò nunc contigiſſe lætor, & plures ſpero futuros Homeros, Apelles, Liſyppos, qui non quidem corporis lineamenta & ſimulacra, quæ tum tabellis & marmoribus intereunt, ſed eius virtutes ac res præclarè geſtas literarum monumentis conſecrent, & ad omnem poſteritatis memoriam propagent. Quorum ego præſtantiam ſi non aſſecutus, at ſtudium æmulatus, orationem iſtam conſcripſi, habui, & proferre volui. Vicit enim officium, vicerunt amicorum cohortationes. Affectum in tantum noſtrum Mecænatem, non potui non & meum priuatim, & ſchola huius publicè

blicè efferri, ac malui delictum imprudentiæ, quam ingratitudinis vitium incurrere. Hunc igitur, vt in Collegio nostro recitata est, audientibus ac probantibus Ampliß. D. Consiliarijs Eccles. & Cl. Professorib. aliisque V. Opt. volui Ill. T. D. inscribere, tum quòd nuper eam hic audire cupisti, si iter differre licuisset: tum quod Ioh. Casimiri memoriam tibi scio gratißimam, sacram & perennem: sicut & apud patria tua proceres honorificam: quorum olim post Regis vestri Sigismundi Augusti mortem non pauci Casimirum regio sceptro dignum indicarunt: Denique vt hoc meæ tui obseruantiæ mnemosynon extaret, quam ego non antè deponam, quàm domesticum & viuum eius pignus, filiolum dulciß. Dauidolum Felicem, negligere caperem. Plura non addam. Deum oro, suis te donis indies augeat.

Vale, Ill. & Generose Domine, vnà cum æqualibus, & amicis, quos omnes, inprimis Ill. & Generos. Dn. Ladislaum Felinum à Zerotin: Cl. D. Amandum Polanum, Theol. D. & Gregorium Crausi, familiaresque ceteros plurimùm salvere & valere cupio. Dab. è musæo. Non. Feb. Anno XCII.

Ill. T. D.

addictiß.

Quirinus Reuterus
Mosbachensis.

ORATIO.

VELLEM equidem, Nobilis. Amplis. Claris. Reuerendi Viri, vosque ceteri Auditores optimi: Vellem, inquam, aliud quodvis argumentum in medium adferre, quàm id, de quo verba facturus sum: imò vellem id potiùs in ornatissimo hoc cœtu tractare licuisset, quod a Deo Opt. Max. summis votis iam pridem expetebamus, & nos breui consecuturos sperabamus: vt nimirum Illustris. & Clementis. nostris Principibus, Domino IOHANNI CASIMIRO, cùm de Republica felicissime administrata, tum de pupillo nepote ad maturam ætatem educato laudabiliter & exquisitè: Domino FRIDERICO autem Electoralem dignitatem, & habenas imperij traditas, ac omine felici susceptas, animis lætis gratularemur, acclamationibus faustis vtrunque Ducem, Patrem patriæ salutaremus, orationibus denique & carminibus hilaritate plenis celebraremus. Verùm aliud summo rerũ humanarum arbitro visum est, qui nos in ipso penè vado grauissima procella iactari, adeoque in portu quoddam quasi naufragium facere voluit; qui nobis, indignis tanto Principe, dignas meritis nostris pœnas infligere, columen istud imperij, vel potius orbis Christiani subruere, Germaniam hoc lumine, præsidio Ecclesias, Rempublicam propugnaculo, Palatinatum fido parente, nos denique patrono beneficentissimo orbare iudicio certissimo, eoque iustissimo constituit. In hoc acerbissimo nostro casu quis sibi temperet à lacrymis?

Quis non eiulet? Cùm ipsum cælũ flere, aëra lugere, ventos plorare, omnia denique ruinã istã deplorare, ac nescio quẽ calamitatum ingruentiũ cumulum denunciare videamus: vt meritò nobis idẽ orationis principiũ capiendũ sit, quod D. *Ambrosiũ* in funere *Theodosij Imp.* vsurpasse legimus: *Hoc nobis motus terrarum graues, hoc iuges pluuia minabantur: & vltra solitum caligo tenebrosior denunciabat: quod Clementiß. Dux* IOHANNES CASIMIRVS *recessurus esset è terris. Ipsa igitur excessum eius elemẽta mœrebant: Cælum tenebris obductum: aër perpeti horrens caligine. Terra quatiebatur motibus: replebatur aquarum alluuionibus: &c.* Sanè quidem hic dolor ob eximij nostri Principis obitum, nobis & Ecclesiis admodum immaturum, & luctuosum mihi fauces propè comprimit, iugulum constringit, & orationis vsum adimit. Mox tamen idem dolor lamenta, gemitus, & voces, pietatis in tantum Principem, ac de nobis optimè meritum indices, exprimit, & nescio quid inconditarum querelarum extorquet. Fateor enim id mihi propemodum vsuvenire, quod apud Herodotum est de Crœsi filio; qui licet ab incunabulis mutus & elinguis, tamen à Cyro Persa, Sardibus, Lydorum metropoli, captis, ac victore milite in ipsam regiam cubiculumque Crœsi irruente, subito clamorem sustulit, & in tanto discrimine, patrem, vt saluti consuleret, monuit. Sic me, ceu κωφὸν πρόσωπον hactenus in Academia nostra dicendi locum eruditioribus merito concedentem, iamque subita hac & publica clade perculsum, vt obstupescenti vox faucibus hæreat: tamen irruentibus simul ac repente tot calamitatibus, non patitur dolor, non pietas, non officium diutius mutum esse, vel linguam & orationem cohibere, quò minus aliqua, huic tempori accommodata, siue ad laudes Optimi Principis, siue ad nostras partes spectantia, iuuentuti nostræ subiiciam. Itaque dicam primùm de tristissimo, quem merito deflemus, casu, & vulnere, quod accepimus acerbissimo: Tum de remediis & solatiis non nihil addam: sed dicam simplici stylo, minimèque affectato. Comtam & phaleratam orationem non est quòd expectetis:

cum

cum vel ipſius eloquentiæ magiſtri, teſte Quintiliano, ab hoc dicendi genere artis obſeruationem abeſſe, gemitus perpetuos, & ſuſpiria duntaxat adeſſe velint.

Ac principio quidem, accepti vulneris, & iacturæ factæ magnitudinem, licet omnes prudentes perſpiciant, omnes boni perſentiſcant: tamen haud abs re, ſed operæ precium, ac neceſſarium fuerit, imperitæ iuuentuti, nec ſua, vel publica damna ſatis perpendenti, pleniùs demonſtrare. Id quod tum demum apparebit, ſi, quem quantumque Principem habuerimus, quas in ipſum Deus virtutes, quæ per ipſum in nos & vniuerſam Europam merita, plures iam annos contulerit, memoria grata repetiuerimus, & ſuis momentis æſtimauerimus. Equidem ſatis intelligo (dicam enim iterum, quod res eſt) me laudibus Herois iſtius vel recenſendis imparem eſſe, adeóque rerum ab ipſo præclarè geſtarum amplitudini ſuccumbere. Verùm in tam pio inſtituto ſaltem conatum laudabitis, ſat ſcio: veniamque dabitis, ſi in tanta materiæ varietate, & infinita copia, non ſingula (quod ne ſi velim quidem, poſſim, per ingenij, & temporis anguſtiam) ſed ſumma duntaxat faſtigia perſequar, & apices quoſdam decerpam. Itaque veram & ſimplicem narrationem inſtituiſſe ſufficiat: vos audire ne pigeat.

Qui virorum principum vitas orationibus & ſcriptis complecti ſolent, eos ſcimus à natalium ſplendore, ſtemmatisque nobilitate exordiri: Parentum gloriam, auorum triumphos, maiorum præclara monumenta, multis ellogiis ad cælum extollere, atque ſic ex atauorum vſque virtutibus ac feliciter geſtis maiorem ſuis, quos ornare cupiunt, autoritatem, gratiam, ſtudium & dignitatem conciliare. Nec ego quidem iſta contemſero. Sunt enim magna & præclara omnia: nec in nulla laude ponenda: imò ſæpius gloriæ & virtutum propriarum adiumenta ſanè quàm opportuna. Veruntamen ſapientum virorum iudicio parum probantur, niſi vera ſolidaque gloria, propriis parta virtutibus, illuſtrentur ac confirmentur. Scitum extat in hanc ſen-

sententiam Alfonsi, regis Aragonum laudatissimi, apophthegma. Cum eum à nobilitate quidam laudarent, nihil se minoris ducere respondit. Laudem enim istam nō suam, sed maiorum suorum esse, qui virtutibus imperium comparassent: Successoribus quidem oneri regna cedere, honori tum demum, si virtute potius, quàm testamento illa suscipiant. Idem planè iudicauit prudentissimus noster Princeps IOHANNES CASIMIRVS, qui tum voce, tum vita tota declarauit, hoc sibi decretum esse, vno maximarū virtutum præsidio niti, nec alieno, vel à maioribus mutuatitio, sed proprio splendore coruscare. Proinde non est, Auditores, cur augustæ familiæ Palatinæ laudes decantem: aut cur stemmatis antiquitatem à CAROLO Magno, è cuius prosapia solos Palatinos reliquos, & Germanorum Principum esse nobilissimos, autorum grauissimorum suffragia testantur: vel ab Arnolfo Imperatore, filio Carolomanni, ipsius Caroli Magni abnepote repetitam: vel denique à Ruperto, fere ducentis abhinc annis Romanorum rege, deductam, à me requiratis. Quod si enim in hunc campum excurrere velim, & saltem enumerare, quot præter eos, quos dixi, in Palatinorum familia clarissimi Imperatores, quot præstantissimi bellorum duces, quot Principes amplissimis in Rempub. Christianam meritis celeberrimi floruerint: nullum ego dicendi finem inuenero? interea leui negotio perfecero, vt Palatinos orbis imperio dignissimos, Imperium orbis his dignum fateremini. Sed dum reliquos prætereo, parentum memoriam silentio præterire non possum.

Anno 1543. 7. Martij. Natus est Illustriss. noster IOHANNES CASIMIRVS. Nonis Martiis, Annis à Christo nato quadragesimi tertij supra Millesimum, Quingentesimum, Patre FRIDERICO, post OTTONIS HENRICI mortem ad Septemvitalem dignitatem, legitima successione prouecto (Nam in hoc Ottone Henrico progenies LVDOVICI Barbati & Cæci cognominati, desierat, quæ insignibus Electoralibus per continuos 149 annos inde à morte RVPERTI Regis floruerat: ideoque fastigium Electoratus ad sobolem STEPHANI Simmerensis,

Anno 1559.

alterius

filius filij Ruperti Regis, nempe ad FRIDERICVM Tertium, abnepotem istius Stephani, hæreditario translatum est) Matre verò MARIA Brandeburgica: vtroque sanguine virtutibus magis, quàm genere illustrissimo. Quam patris Friderici Electoris, quanta fuerit in omni laudis genere præstantia, cùm in recenti habemus memoria, tum grata posteritas celebrabit: Et ego cùm de tanto Principe pro ipsius dignitate non possim dicere, sat me dixisse putabo, si omnem meam, quantulacunque est, in dicendo facultatem, omnem ingenij vim eius laudibus inferiorem esse dixero: vel si eum inclytis illis Iudæorum regibus, Iosaphato, Ezechiæ, Iosiæ comparauero; & non minus suo merito, quàm omnium piorum iudicio, Piissimum, Optimum, Maximum Principem nominauero.

Matris verò pietatem, philostorgian, grauitatem, eaque laudatam humanitatem, misericordiam, & in pauperes beneficentiam, ceterasque Matrona regia dignissimas laudes, non satis prædicare possunt homines nostri, qui proprio experimento sepiùs eas cognouerunt.

Hoc nobilissimum par coniugum optimorum, filio infanti, nomen vtriusque aui IOHANNIS & CASIMIRI in Baptismo tribuit, omine sanè faustissimo. Nam cum nomine rem, auitas putà virtutes, togatas pariter & armatas, adeptus videtur.

Auus paternus IOHANNES Palatinus, Dux Simmernensis, fuit Princeps sapientia, Iustitia, Prudentia, morum integritate, & moderatione, omnique virtute præstantissimus: quo nomine à CAROLO V. Cæsare plurimum amatus & honoratus, ac summo Iuris tribunali seu Cameræ Imperiali præfectus est.

Auus maternus CASIMIRVS, Marchio Brandeburgensis, autoritate inter ceteros Imperij Principes, & militari gloria, rerumque bene gestarum laudibus excelluit, filius celeberrimi ALBERTI, quem Achillem Germaniæ nuncuparunt, haud degener nepos. Nam & Maximiliano I. Cæsari cum Venetis belligeranti bis opem tulit, fideliterque operam nauauit, & post eius mortem, Germa-

niæ pacem ac tranquillitatem conſeruauit, quum ei communibus Electorum ſuffragiis ſumma poteſtas, & militares copiæ decretæ eſſent: ne quid Reſpublica detrimenti caperet, per abſentiam Caroli V. in Hiſpania tum adhuc morantis: denique in Pannonias Imperator à Ferdinando Rege miſſus eſt, vt regnum aduerſus Turcam, & huius clientem, Iohannem Zepuſij Comitem armis tutaretur: quod & feliciter præſtitit, dum fata ſinebant. Nec enim multo pòſt in arce Budenſi diem ſuum obiit, illis quidem regionibus immaturum: vt quem ſtatim exceperunt funeſtæ calamitates, quæ regnum Pannonicum peſſunderunt, adeoque totam Germaniam haud leuiter afflixerunt. Horum igitur auorum virtutes in noſtrum IOHANNEM CASIMIRVM, hæreditario iure quaſi confluentes ſunt deriuatæ, vt vnius humanitatem, alterius magnanimitatem, illius prudentiam, huius fortitudinem, exprimeret, & repræſentaret. Vt enim ex generoſis generoſa plerunque procreantur, ſic ipſe quoque à præſtantigenitorum natura minimè receſſit: ac mox in pueritiæ limine præclaram indolem, animum ingeniumque magnum luculenter prodidit. Cum enim octennis in Galliam ab Henrico II. Rege, vnà cũ Carolo Lotharingiæ duce abductus, in aula regia educaretur: ita ſe in actionibus omnibus oſtẽdere, in honeſtis & liberalibus certaminibus, equeſtribusque ludis exercere, vt æquales anteiret, maioreſq. vinceret: ac tũ Regis & procerum Gallorum animos ſibi mirificè cõciliaret: tum auunculũ, Marchionem ALBERTVM, Mauortium heroa, celeberrimumque bellatorem, tum aliquãtiſper in Gallia diuerſantẽ, plurimùm oblectaret: adeò vt iam tum hunc adoleſcentulũ admirarentur, magnificis donis proſequerentur, omnia ſumma, nil vulgare ſibi de eo pollicerentur. Ac cum aliàs aularum mores à ſapientibus notentur: inprimis Gallicæ licentia ſit hactenus vituperata: tamen natiua virtus, altis fixa radicibus, à contagione Caſimirum purum conſeruauit, vt magna ſua cum laude, parentum gaudio, propinquorum admiratione, felix in patriam

Anno 1527.

Anno 1552.

patrium redierit, prudentia, linguæ Gallicæ, variaque eo-
gnitione instructus. Elucebant tum magis in ipso adole-
scente perspicua naturæ heroicæ argumenta, morum sua-
vitas admirabilis, eximia modestia, & in superiores obser-
vantia, summa in omnibus vitæ actionibus elegantia, in
verbis comitas, omnis denique virtutum chorus, quæ in
principe potissimùm commendantur. Quarum conspe-
ctu cum alios Germanos principes, tum Maximilianum
Imperatorem nostri principis rapuit, cui & insignia eque-
stris ordinis contulit, quo tempore Francofurti Rex coro- Anno 1562.
nabatur, & postea in comitiis Augustæ celebratis, primas Anno 1566.
in equestribus certaminibus tenenti, & palmam ceteris
ducibus præripienti, lauream imposuit. Intelligitis,
opinor, ex his pueritiæ rudimentis, & adolescentiæ tyro-
cinijs, sic existimasse Casimirum nostrum à tenella æta-
te indignum sua persona fore, nisi maioribus se dignum
præstaret: imò gloriam ab iis relictam amplificaret, eo-
rum res gestas in luce poneret, præstantiámque superaret:
quo nomine non tam Casimirū maiores quàm hos ipsum
illustrasse: nec plus illis hunc, quàm huic illos debere fa-
mamur oportet. Id quod luculentius apparebit, si progre-
diamur ad annos sequentes, quibuscum virtutes creue-
runt, & ea, quæ à iuuentute, ad vitæ finem gessit, perse-
quamur. Sic enim ille rationes vitæ suæ instituit, hoc
sibi proprium & totum vendicauit, vt non tam digni-
tate, iisque ornamentis, quæ vulgus propè sola miratur,
vel insignibus, quæ cum aliis communia haberet: quàm
vera pietate, & religionis cura, quàm iustitia & fortitu-
dine, quàm fide & integritate in Ecclesia & Republica
defendenda, quàm clementia & moderatione, denique
omni virtute sinceriſsima constantia, ceteros antecel-
leret. His pretiosiſsimis gemmis totam ipsius vitæ pe-
ctorum fulsisse, facilimè possim & fusiſsimè demon-
strare, si panegyrico more singula consectari velim.
Sed quia me copia sentio opprimi & temporis angustia
coarctari, rem in pauca conferam, & in illas virtutes quasi

digitum intendam, ætatis seriem in hac simplici narratione secutus.

Pietatis in Deum, Patrem & patriam, animi excelsi, reliquarumque virtutum, quas ei modò tribuimus, speci-
Anno 1566. men luculentissimum exhibuit in Comitiis Augustanis, ante annos animumque gerens, curasque viriles. Cum sanctissimo Principi FRIDERICO III. PIO negotium facesserent nonnulli tum Pontificij, tum alij proceres, & ij quidem, quos minimè decuit, eumque de fastigio dignitatis suæ tantùm non deturbare molirentur, sub religionis prætextu, quam hæreticam (si Deo placet) foueret: astitit Optimo Patri, falsissimas accusationes grauiter & solidè confutanti, pius Filius, Sacra Biblia, & confessionem Augustanam manibus gestans, & ordinibus Imperij proponens, ex iis vt Pater erroris conuinceretur (quod tamen à nullo tentatum, necdum perfectum est) paratus & ipse de Fidei confessione ex authenticis Prophetarum & Apostolorum libris, respondere, & pro Patre si res ita postularet, vitam profundere.

Flagrabat nimirum CASIMIRI nostri pectus iam tum pietatis zelo, qui non passus est intus se concludi, sed foras erupit effecta pulcerrima edens, ac indies auctus eò tandem ipsum permouit, vt pro veræ religionis, & Ecclesiarum patrocinio, non fortunas solùm, sed & salutem suam in discrimen adduxerit. Testis est expeditio sub fi-
Anno 1567. nem Anni sexagesimi septimi, in Galliam susceptа, ad quã cum, sicut & Patrem, nec vanæ gloriæ, laudis, & honorum cupido, nec opum potẽtiæ & imperij alieni sitis (quæ alios ferè solent) impulit, sed vnicum gloriæ Dei vindicandæ, fideliumque ab immani durissimæ conscientiarum seruitutis iugo liberandorum studium incitauit. Erat tum orbis Christiani status vndiquaque turbatus, Pontifice Romano, potentissimos Monarchas ad Fœdus sacrum (verè profectò sacrum, vt auri sacra fames) solicitante: Cuius hoc est caput, vt concilij Tridentini decreta mandentur executioni: stabiliatur Idololatria Antichristi: Ecclesiæ ortho-

orthodoxæ euertantur funditus: Quæ coniuratio, bellorum & diuturnarum calamitatum, quibuscum conflictamur, fuit protasis, cuius vtinam lætam catastrophen aliquando cerneremus. Rapiebant ad se præterea dynastæ nonnulli Galliæ dominationem, quam vt stabilirent, & ipsi pias Ecclesias, earumque Patronos inprimis, horrendum in modum infestabant, adeò vt nemini integrum esset, ex verbo Dei religionem Christianam profiteri, quin præsentissimum vitæ periculum immineret. Quotidie cædes, lanienæ, rapinæ, lacrocinia, direptiones, alia nefanda patrabantur: piorum miserabiles eiulatus, vociferationes, lamentationes exaudiebantur: prouinciæ vastitate, incendiis, populationibus implebantur: denique ad exitium vniuersi Christianorum cætus nullæ non machinationes adhibebantur. Quæ cùm priuatim singulis essent luctuosa, integris Ecclesiis pernicioſa: primarij Galliæ proceres ab Electore FRIDERICO PIO, promtissimo verarum Ecclesiarum nutricio, auxilia petiuerunt, quæ is, pro sua in afflictos συμπαθείᾳ non solùm destinauit, sed & filium copiis præfecit. Sic igitur IOHANNES CASIMIRVS ad salutem Gallicarum, vel potius omnium Christianarum Ecclesiarum fatalis dux destinatus, in Gallias exercitum magna prudẽtia & felicitate traduxit, exiguoque temporis spacio vires hostium fregit, conatus dissipauit, ingenti metu pios bonosque liberauit. Oppugnabat amplam & opulentam vrbem Carnutum, & tormentorum vi conquassatam, in potestate sua tenebat; cum ecce pacis conditiones à Rege Carolo IX. offerrentur: Quas cum Ludouicus Borbonius, Princeps Condensis, accepisset, noster quoque Casimirus arma lubens deposuit, quæ firmæ pacis constituendæ causâ sumserat. Neglexit tum Optimus Dux, egregiam suorum commodorum stabiliendorum, augendæ dignitatis & potentiæ, congerendorum thesaurorum oportunitatem, Ecclesiis, & Francicæ coronæ principibus securitatem attulisse, gladios à bonorum iugulis depulisse, frenum Antichristo iniecisse cõ- Anno 1572. M. Martio.

tentus. Vnde Casimirum omnes laudibus in cælum efferre, pietatem, fortitudinem, prudentiam, & raram in victoria moderationem deprædicare : Galli cumprimis, hunc suæ libertatis vindicem agnoscere, & de tam præclaris in se tali tempore beneficiis immortales gratias agere. Vtinam verè ipsis per hostium furorem diutiùs ea commoditate frui licuisset. Vix enim ex Gallia Casimiro digresso, Pōtificij violato pacis edicto, iurisiurandi religione proculcata, perfidè & crudeliter in optimos quosque sæuire, quosque armatos opprimere nequirent, inermes nec hostile quid metuentes, ad internecionem delere conari: quæ truculentia, cum neque tum ex voto succederet, ad pristinas perfidiæ technas recurrêre, pacisque nomen ostentando, primarios religionis reformatæ, sub nuptiarum specie Lutetiam euocatos, crudelissimè mactauêre: qua immanitate nescio an post hominum memoriā alia sit audita tetrior & sceleratior. Extant quidem in historiis aliquot dirarum lanienarum exempla: Mithridatem ferunt in Asia pariter trucidanda curasse Romanorum octoginta millia: funestam in Pythagoreos cædem olim in ea Italiæ parte, quam magnam Græciam dixere, perhibent admissam. Sic in recentioribus historiis, Templarios, quos vocarunt, in Gallia simul omnes occisos à Philippo Pulcrō: Gallos contrà, à Siculis, ad Vesperas (vt vulgo loquūtur) eo facinore nobilitatas ad vnum omnem miserabiliter interemtos legimus. Verùm has crudes, vtut barbaras, detestabiles, tartareas, immanitate sæuitia, & flagitiosissima perfidia longè vicit Parisina seu Gallica laniena, quam sicarij scelerati, efferatā rabie, in omnes promiscuè pios, in homines nobilissimos, in Duces præstantissimos, & plerosque quidem ad sacrum Nuptiale, blanditiis allectatos, nulla dignitatis, nulla sexus, nulla ætatis habita ratione, indignissimè perpetrarunt: riuos, plateas, fluuios, vrbes, & ipsam aulam regiam sanguine innocenti compleuerunt: denique vix ab ipso Sponso HENRICO Nauarræ Rege, nuper ad Galliæ regnum, mirò

Dei

Dei iudicio, vocato (quod vtinam breui, domitis per-
duellibus, pacatum obtineat) manus cruentas & nefarias
abstinuerunt. Actum videbatur eo tempore de Ecclesiis:
sed Deus ex tenebris lucem educens, eas mirabiliter con-
firmauit, & hostes vlciscens partim sustulit, partim inter
se commisit, qui regnum summis turbis implicuerunt. In
hoc miserabili statu Frater regis Dux Alenconius, Henri-
cus Princeps Condæus, aliique plurimi proceres, ad vni-
cum Casimirum nostrum, tanquam Asylum, confugere,
hunc Imperatorem, tanquam Germanorum Principum
decus & lumen, ad bellum pro salute regni florentissimi
gerendum deposcere, ac ceu firmissimum propugnacu-
lum aduocare. Huic enim vni summam rei militaris scien-
tiam, insignem prudentiam, heroicam fortitudinem, au-
toritatem, & felicitatem egregiam, quas in Imperatore
virtutes requiri nostis, tribuebant: experti scilicet prius,
quanta ipsi singula ista inessent. Non passus est tum he-
ros noster frustra suam opē implorari, nec, vt alios quos-
dam, se vel commodis quibusdam, otio, voluptatibus,
amore coniugis, patris & patriæ retineri, vel metu, & rei
difficultate, vel dehortationibus & minis quorūdam abs-
terreri. Succurrit extemplo Galliæ tot cladibus attritæ, Anno 1575.
tot turbis labefactatæ, tot lanienis exhaustæ, & tantùm
non collapsæ: succurrit, inquam, iterum, ne tum quidem
vlla regnandi, finesque dilatandi cupiditate abreptus, sed
pietate in afflictos, misericordia in oppressos, & tandiu
miserè vexatos, studio summo in Rempubl. Gallicam, in
pios regni Duces, & Optimates beneuolentia, iustitiæ fir-
mandæ, solidæ pacis constituendæ, diuini denique nomi-
nis contra atheos asserendi desiderio adductus & inflam-
matus. Sic enim ipse redux, huius vrbis Senatoribus, ante
portam eum excipientibus, respondit: Hæc arma non vlla
temeritate, vel praua cupiditate cepi, sed publica voca-
tione, diuinaque voluntate: quodque feliciter cepi, non
mihi, sed soli Deo vendico, & acceptum refero. Præcla-
ra profectò vox, summæ pietatis, & integerrimæ mentis,
testis

testis locupletissima. Deum hunc animum respexisse iudico, cum exitu felici bellum istud conclusit. Mox etenim vbi in Galliam instructissimo cum exercitu perrupisset, ac in vmbilicum regni, ad ipsam Metropolin vsque, penetrasset: ab hostibus, suæ causæ diffisis, ac proditione potiùs, insidiis, scelere (quem illi morē inveteratum, etiamnum tenent) quàm aperto Marte pugnare cupientibus, & vel sola nominis Casimiri fama perterritis, victoriam non quiddem ἀνιδρώτι, sed propemodùm ἀναιμωτί. eoque gloriosiorem, & salutariorem, deportauit: Regi, quas voluit, hoc est, æquissimas, vtilissimasque pacis leges dictauit, & facilè persuasit, vt Rex Henricus III. edicto publico profiteretur, expeditione hac à Casimiro sibi gratum, & tali tempore oportunum officium, ac obsequium esse præstitum. Nec immeritò. Nam pacem regno, regnum ipsum regi, regiis edictis autoritatem, principibus dignitatem, tribunalibus iustitiam restituit: pietatem pulsam, fidem exulantem reduxit: Exulibus patriam, & quasi vitam, imò vita cariorem conscientiæ libertatem reddidit: Ecclesiarum cætus dissipatos reuocauit: Christianorum salutem defendit: religionemque propugnauit felicissimè: Babylonicæ meretricis furorem ab ouium Christi cervicibus depulit fortissimè.

Videtis, Audit. etiam me tacente, quàm multa & insignia virtutum Imperatoris verè Christiani documenta in hoc bello ediderit. Quantæ, quæso, pietatis erat, pro pietate corpus obiicere, vitam pro fidelium vita, salutem pro Ecclesiarum salute mortis periculo exponere? Quantæ fortitudinis, hostem potentissimum aggredi, magnoque animo ad profligatam ante Religionis & Iustitiæ majestatem instaurandam adigere? Quantæ clementiæ, parcere inimicis in potestatem suam redactis? Quantæ moderationis, victoria non tantùm non abuti superbè, vel insolenter, sed ne quidem ad suas res stabiliendas vti: quin imò conditiones lautas, de Metensi, Tullensi, Verodunensi præfectura, aliasque plures, quas socij pacti erant;

imo

imò & eas, quas hostis obtulerat, & contulerat, è manibus libentissime dimittere, ac de iure suo cedere? Eóque facto coram vniuerso mũdo testari, publicæ rei studio, non primatæ seductum fuisse, nec sibi sed aliis consultum voluisse? Tãtò certè præclariora hæc omnia, quãtò rariora. Quotus enim quisque Ducum est, quin exiguis laboribus eximia præmia, meritis interdum nullis ingentes gazas deposcat? Quin ex aliorum incommodis sua commoda, voluptates, honores, comparare studeat? Tu verò, CASIMIRE, labores infinitos exantlasti, pericula grauissima subiisti; quæ vix gregarius miles perferat, ea tolerasti: præmia verò digna, imò pacta conuenta, tibique destinata, quantumuis luculenta, non modò non efflagitasti; sed etiam recusasti, Reipublicæ, Ecclesiæque salutem, pacem & incolumitatem tibi tot ærumnarum & sudorum, rerumque præclare gestarum mercedem vnicam statuẽs. O diuinum animum, de publicis duntaxat commodis, deque gloria diuini nominis sollicitum; Deoque soli confidentem, & ab eo solo rectè factorum præmium expectantem. Cuius animi vel illa vexillis in scripta symbola, REDEAT FIDVCIA MVNDO, & DE CÆLO VICTORIA, fidem faciant plenissimam. Taceo iam summissam ipsius erga Deum humilitatem, ac eximiam gratitudinem, in eo non minus, quàm in Patre FRIDERICO clarissimè spectatam, inprimis cum mox à felici reditu, primùm in arcis templo (quod parentis ductu, confestim, ocreatus adhuc, itinerisque puluere sordidatus, vt qui vixdum equo desiliisset, adiit) postridiè in vrbis primario, concione frequentissima, Diuinam benignitatem pro reb. bene gestis, actis gratiis religiosissimè, supplices celebrarent. Taceo alia id genus innumera, quæ si percensere velim, in immensum vaibit oratio. Itaque contraham vela, cùm videam, vlterius esse prouectum sermonem, quàm arbitrabar. Progrediar ad togatas virtutes, quæ postea pacis tempore eminuerunt.

Anno 1576. 25. & 26. Augusti.

Dimestri spacio post reditum ex bello Gallico, Pater

26 Octob. FRIDERICVS III. PIVS, cum à Deo ex hac miseria vitâ in optatam à se beatitudinem euocatus esset (cui morienti Filius Optimus affuit, & lumina clausit, extremo pietatis officio defunctus) casum mortem illius consecutus, quo nostro Duci non minorem ipsa patris morte luctum attulerunt. Iactabantur passim voces, CASIMIRVM à fide Patris recessurum: eandem fidem nonnulli certatim huc rerum turbandarum studio conuolantes, criminabantur, nec tamen erroris ex verbo Dei, vel argumentorum robore conuincere, sed vi & clamoribus obruere ac sepelire nitebantur: cathedris Academiæ scholarumque, doctores, Ecclesiis, ministros spectatæ fidei, dimouebant: substituebant paulatim alios, sed quorum plerique vel experientiâ & vsu rerum, vel eruditione, doctrina, pietate, vel celebritate nominis, antecessoribus, multorum quidem clarissimorum virorum, inprimis illius Germaniæ lumi-
In Papp. Ecchomeno. pag. 146. nis Iohannis Sturmij iudicio, non viderentur æquales: iuuenes, adolescentes, pueros è collegiis eliminabant: in hoc ipso loco sententiam exilij contra studiosos ferebant: quorum tamen nullus erat, quin fidei confessionem redderet, & meliora, quàm à præceptoribus hactenus didicisset, docentibus cedere cuperet. Sic florentem illam vineam ab Electore FRIDERICO PIO ad Nicri Rhenique fluenta, summâ curâ, consitam & cultam, male feriati deuastabant: plurima denique (referre singula nil attinet) candidum pectus, optimi & φιλοτάτου Herois non poterant non grauissimè vulnerare. Verùm excelsum animum minimè fregerunt aduersa, nec de pristinæ Constantiæ sede deiecerunt: Nihilo minus in virtutum cursu pertexit, ac eandem porrò se viam insistere velle CONSTANTER ET SINCERE, symbolo suo præ se tulit. Rumores de sua persona sparsos, factis omni laude dignissimis refutauit: inprimis edita Patris confessione: cuius se patronum & executorem de voluntate Parentis, palàm profitebatur: grauissimè profectò & neruosissimè scripta: quam si nonnulli vel legissent, vel expēdissent, moderationes se tum tempo-

ris præbuissent. Intercessit præterea diligenter iis, quæ tũ agitabantur de religionis mutatione: vim deprecatus est; ea media proposuit, quæ in Ecclesia semper vsurpata fuissent: Patris Theologos & ministros audiri, causam in Synodo, vel libero colloquio, vel in legitimo pacificorum doctorumque virorum conuentu cognosci petiuit. Sed frustra hæc omnia. Quod vnum igitur restabat, in sua ditione religionem Dei verbo consentaneam & cõseruauit, & amplificauit, Ecclesias solicitè constituit, earum se fidelem nutritium apertissimè demonstrans: ac, vt pius Asa, pios Israelitas ex decem tribubus, ad suum territorium confluentes recepit, contemnens multorum sinistra iudicia; contumelias, & minas aduersariorum. Cũque sciret, Scholas esse diuinæ Sapientiæ hospitia, matres veræ Dei cognitionis, bonarum artium & virtutum palæstras: regia sanè munificentia, Neustadij Gymnasium illustre, non minori omnium orthodoxarum Ecclesiarũ fructu, quàm sua laude condidit & aperuit, euocatis eò præstantissimis, in omni facultatũ genere viris, & inprimis eximiis illis Theologiæ doctoribus (reliquorum enim nomina prætermittam, ne quid auribus superstitum dare videar) D. Zachariæ Vrsino, & D. Hieronymo Zanchio, præceptoribus mihi semper dilectissimis, & obseruantia perpetua colendis, qui cum voce, tum scriptis, Neapoli Casimirianæ gloriam peperêre sempiternam, & operam illic ad finem vsque vitæ nauarũt, tum iuuentuti, tum vniuerso Christianismo fructuosissimam. Nec docentibus solùm, sed multis quoque discentibus liberalia stipendia constituit, egestatem reliquorum studiosorum subleuauit, ad eorum victum, annonam copiose suppeditãs; exules innumeros, ad illum, ceu portum, se recipientes liberaliter excepit: afflictorum mœsta corda recreauit: denique ad summam hospitalitatem erga bonos omnes, inprimis literatos literarum amantes nihil reliqui fecit. Quemadmodum autem domi suis Ecclesiis feliciter prospexit: ita foris aliis quoque consensum in veri-

Anno 1578. 20 Maij.

 tate

tate, pacemquè minimè fucatam summis viribus procurare contendit. Cum enim VBIQVE dominari cupiens quorũdam theologorum turba, famosum seu celebrem illum Discordis Concordiæ librum circumferret, & à summis pariter & imis suffragia vel emendicaret, vel extorqueret: vnus propè Casimirus illorum technas olfaciens, subscriptionem, allatis solidissimis rationibus, recusauit, & ea ceteris Principibus, consilia suggessit, quibus si locum reliquissent, plus pacis & pietatis, rixarum & profanitatis minus haberemus. Extãt hac de re libri, iampridem omnium ferè manibus, summa cum vtilitate, ac pari voluptate triti: quos inter eminet illa solida, luculenta, & verè Christiana Admonitio de libro Concordiæ: tum Epistolæ, & iudicia sunt in promtu, quæ prudentissimum nostrum Heroa longè ante præuidisse, quæ post acciderunt, & solum veram Concordiæ viam monstrasse testantur. Quantum autem ista CONSTANS SINCERITAS ET FORTITVDO CASIMIRI, toti Germaniæ cõmodarit, dici vix potest: agnouêre id passim boni viri, per omnes prouincias dispersi; & gratis animis celebrauêre: frustra ringentibus & frendentibus Aristarchis illis, superbis fidei dominatoribus, quos vnus iste angulus vrebat, è quo liberæ voces emittebantur: agnoscent idem & prædicabunt grati posteri.

Sub illud tempus athletam nostrum denuò bellica certamina exercuerunt. Nam Belgarum ordines, nec non serenissima Brittannorum Regina, ipsum expetebant Imperatorem, famâ virtutum & rerum gestarum in eam spem erecti, hunc vnum afflictas ac labantes Belgicarum prouinciarum res in suam dignitatem, antiquum splẽdorem, & auitam libertatem vindicaturum. Ita namque censebãt omnes, eius fidei maximè belli administrationem credendam esse, qui tanto studio, & animi ardore, pietatis & libertatis hostes prius esset aggressus, & viam ad summa quæque sibi meritis suis patefecisset. Eorum votis ac precibus ne deesset, expositis primùm publico scripto sui instituti causis, copias lectissimas, equestres & pedestres, in

Bra-

libertatem deduxit, hostium insolentiam repressit, vim
omnium ab dubio populis illis pacem: ad quod omnium
maximè ipsi fuit, & caput causæ, cuius otiū, Eccle-
siæ tranquillitatem præstiturus, Belgicā quæ ab Hesperiorum
vindicaturus, nisi quidam, non dicam tanto Principi
inviam, sed sibi salutem & felicitatem invidissent, auxilia-
manus asperati: vel potius, nisi peccata hominum
graviores pœnas essent commerita. Traiecit igitur
Dux è Flandria in Angliam, ubi à Deborailla Regio Anno 1579.
divinæ dignissima, tanti sunt honores Casimiro nostro
habiti quanti peregrino Duci vix quā: quin, & in vetustum
splendidissimum ordinem Equitum Charterlorum, & au-
spicatissimi Lilidis est cooptatus; quæ dignitas paucis exteris,
Germano Principi vix vni & alteri contigit.
Sed ad quartam expeditionem in Tractum Colonien- Anno 1582.
sem pro Germaniæ dignitate & libertate susceptam venio:
quam contra Romanenses & liberos animo magno tutan-
dæ Imperij proceres, quicunq; patriæ tangebantur, exi-
stimabant. Et si fuisset in iis fides, in quibus summa esse de-
bet, neque laborasset tum bona causa, cuius æquitatem
optimo scripto explicarat Dux Casimirus, & omnibus
piis amantibus probaverat: Neque Germaniæ dicio
nonnulla ad hoc usque tempus valde laborassent. Ve-
rum & hunc eventum sic gubernauit iustus peccatorum
ultor, vt in ira misericordiæ recordaretur. Nostrū enim
per hoc labyrinthis variis præter multorum opinionem
traxit, & salvum incolumemque ad Electoralis Palati-
gubernacula vocatum, nobis stitit, & patriæ restit-
uit. Quod munus non humano, sed diuino consilio sibi
datum, diuino beneficio, diuina virtute, deinceps fe-
liciter exercuit, & ad amplius administrauit. Sane &
de hac vitæ parte dicere valuissem, habuerim quæ
dicam infinita; Sed modum orationi statuere decet, ne
patientiam vestram in fastidium conmittam. Vno fasce
comprehendam omnia. Nónne toto hoc gubernationis
spatio plurimis & præclarissimis documentis Europæ

coti plenissimam fidem fecit, se non Imperium, non honores, dignitates, opes affectare, quæ tamen alij studiosè venantur, & malis artibus haud raro sibi conciliant: sed pietatem, solli concordiam & pacem publicam, sed patriæ, cumprimis dilectissimi pupilli Nepotis, & tanquam filij FRIDERICI IV. iam S.R.I. Electoris, Domini nostri clementissimi commoda consectari? Adeò, vt FRIDERICO victorioso, cuius tamen in pupillum PHILIPPVM Palatinum insignia meritis exiterunt, multis nominibus, in hac tutelæ causa præferendos meritò videatur. Nonne totus inid incubuit, vt omnes incolæ Palatinatus verum Iehouam verè colerent, religionē Christianam non ex lacunis & cisternis putidis, sed è limpidissimis verbi diuini fontibus haurirent, & imbiberent? Vt eandem pura conscientia, & fide minimè ficta, itidem vtcipse Constanter ac Sincerè amplecterentur & profiterentur? vt inuidia, liuor, factiosa nomina, & quæ sequitur animorum exacerbatio, quicquid denique sciderat ac perturbarat Ecclesias, id omnē tandem exterminaretur, ac ex omni hominum memoria deleretur? vt rixis sublatis, Christiana dilectio, mutua ὁμοφροσύνη, cōcordia in veritate, vel saltem in his quæ dam, & mansueta modestia succederet ac regnaret? vt post religionis puritatem, Iustitiæ vigor floreret? & cuique suum prosopopeia ius diceretur & administraretur? vt omnia sceleta, nominis diuini profanatio, deierationes, libidines, ascia, & alia flagicia procul facesserent, seuereque multarentur? quibus de rebus insignia sanctissimaque promulgauit edicta, per omnes suas ditiones, quæ, ne quis ignorantiam prætexeret, in singulis oppidis & pagis quotannis quia nimis ieiuna præfectione voluit inculcari? vt scimus, quod in Psalmo dicitur, benignitas & fides occurrerent sibi, Iustitia & Pax osculārentur se: vt Fides è terra germinaret, & Iustitia è cœlis prospectaret? Nonne summa cura & indefesso labore hoc egit, hoc in votis habuit, vt subditorum quisque pacatus ageret sub vite sicuique suæ vt ficui suæ, aliquoties immutantium, furiosum vim oppi-

Psalm. 85.

[illegible] suorum arceret, nec minori virtute patriam & Ec-
[illegible] domesticas tutaretur, quàm foris exterorum
[illegible] olim propulsasset? vt denique Principis optimi
[illegible] cuncta solerter compleret? Quanta magnanimitate
[illegible]bilis multorum machinationes in principio suæ ad-
[illegible]strationis superauit? Quanta animi æquitate maleuo-
[illegible] iniurias deuorauit? contumelias dissimulauit?
[illegible] τῶν πρακτῶν, καὶ ἀμελὴς τῶν λόγο ποιουμένων: sedulus in
[illegible] faciendo; rumusculorum & fabularum vulgi ne-
[illegible] vt Dionis de Seuero Imp. verbis vtar. Quanta mo-
[illegible]one in dissentiẽtes vsus est? Adeò vt plerique in tam
[illegible]anti, & heroica natura mitissimum ingenium non
[illegible]erint satis admirari. Ferre volebat Optim. Princeps
[illegible], si pacificum eius mandatum ipsi ferre potuissent:
[illegible] nonnisi falsum testimonium, conuitia, calumniæ pro-
[illegible]bantur: facultas illis sua placidè proponendi, satis
[illegible] concedebatur. Verùm multos insanabile quoddã
[illegible] tam contradicendi, quàm maledicendi cacoëthes te-
[illegible]: nonnullos insana quædam in pium pij magistratus
[illegible]um inuehendi libido stimulabat: vt testatum facerẽt,
[illegible] quidem videri velle, nedum esse tolerabiles: Quos, ex
[illegible]orum voto, clementissimè certè dimisit. Quantæ fuit
[illegible] patientiæ? quantæ benignitatis? cuius nulla videas
[illegible]pla, his quidem temporibus. De Iulio Cæsare fereba-
[illegible], eum non tantùm gloriæ sibi conciliasse victoriis, quã-
[illegible] clementer inimicis ignoscendo, quòd is triumphus
[illegible]ficentissimus sit, qui de superatis affectibus agitur.
[illegible] Romani scriptores suos Imperatores à mansuetu-
[illegible] laudãt, Titum amorem ac delitias hominum, Tra-
[illegible] Optimum appellant, Alexandro Seuero tribuunt
[illegible]erium ἀναίματον, seu incrumentum. Ellogia talia Casi-
[illegible] nostro longe verius ascripserimus: quo nihil amabi-
[illegible]elius, clementius fingi, nihil in pulcra regione, pul-
[illegible] inueniri potuit: cuius tota gubernatio verè patria
[illegible]: cuius serena frons & vultus blandus nil nisi delicias
[illegible]: à cuius alloquio nemo tristis discedebat: cuius

denique

denique incredibilis comitas, gestus compositi, mores gratiosissimi, vel infensissimos alioquin hostes, in admirationem & amorem rapere solebant: vt idem, quod de Patre Friderico iure scriptum fuit, merito de Filio quoque feratur:

Qui te non vidit, Casimire, videre cupiuit,
Et qui te vidit, captus amore tui est.

Iam in nostrum ordinem quàm fuerit propensus, & beneficus, cum innumera alia, tum Gymnasia Casimirana, Neapolitanum, de quo prius: & Heidelbergense recens, magnificè, summis impensis, extructum ostendunt: & ipsi parietes loquuntur, imò ad posteritatem clamabunt, Academia Nicrina sequentibus seculis commemoratione grata prædicabit: nec officio suo deerunt ceterarum scholarum magistri & alumni: Neuhusianæ cumprimis, quæ vt à Sanctiss. Electore Friderico fuerat Anno 65. instituta: sic ante septennium est à Casimiro instaurata & renouata. Sed quid longè abeam? Nos in hoc Sapientiæ collegio testes sumus eius liberalitatis, omni exceptione maiores, & erimus perpetuò, vti debemus. Idque spondeo ego, Ampliss. Dn. Consiliarii, discipulorum & studiosorum horum nomine, nullam vnquam obliuionem ex animis eorum munificentiæ benignitatisque Casimiri memoriam esse deleturam.

Sicut autem in cursu parum fuerit ad victoriam contendenti, si è carceribus exeat, acriorem impetum adhibere, nisi eundem retineat, dum ad metam peruenerit: Sic quoque CASIMIRVS noster, iter virtutum vt ingressus, sic emensus est, ad finem vsque curriculi suitatem se præstans, qualemantea semper, tum in secundis, tum in aduersis rebus plurimis, subinde documenta sanè fluctibus iactatum, & tantùm non obrutum, præstitisse videramus. Sic agona præclarum decertauit, sic cursum peregit ac consummauit. Has summas virtutes, raram pietatem, in Deo fiduciam, iustitiam & clementiam, misericordiam

comi-

[illegible]tem, munificentiam, inuicti animi robur, & in [illegible]que fortuna æquabilitatem admirati sumus hactenus [illegible]ritò: iam dignis laudibus, si possimus, extollere debe[illegible]. Nam si Clarissimos illos Duces, Epaminondam, [illegible]niden, Decios, Paulos, qui pro Patria se deuouerunt, [illegible] hostibus obtulerunt, in cœlum historiarum monumen[illegible]tollunt, in iisque commendandis nullum modum ser[illegible]: Quid ni ergo nos Christianum hunc Principem [illegible]tatim celebremus? qui totam vitam, de Christi Re[illegible]bl. bene merendo, pro lege & grege Domini pugnan[illegible], vulnera in acie, & impetum hostilem aduerso pectore [illegible]cipiendo, ῥιψοκίνδυνος in bona causa, magnæque animæ [illegible]digus, insumsit, immodicis curis de patriæ salute se fa[illegible]uit, vigiliis continuis, & laboribus plusquàm Hercu[illegible] vires exhausit: itaque seipsum Ecclesiæ & Reipnbl. [illegible]pendit & deuouit.

Tanto Principe, & tam salutari Dei organo cum orbati [illegible], intelligitis omnes, quàm graue vulnus eius obitu [illegible]eperimus, quàm iustam tristandi materiam habeamus, [illegible] in hoc luctu num totos nos mœrore perpetuo trade[illegible]? Num lacrymis continuis macerabimus? Vetat id no[illegible] Fides, iubet Pietas, luctum leuemus, & consolationem [illegible] animos admittamus: de qua parte nonnihil delibabo.

Primùm igitur sic statuo, dolorẽ nostrum minuere, non [illegible]gere debere tranquillum & beatum nostri Ducis ex hac [illegible] excessum. Nec enim eum vel mors exterruit, vt eos so[illegible], qui parum in schola pietatis profecerunt, quique [illegible] minus bene conscij, iudicium appropinquans exhor[illegible]unt: vel prævênit imparatum: vt qui pro sua pietate [illegible]quam non animo versaret mortalitatem. Quoties ex [illegible] sunt auditæ hæ voces, Se vitæ saturum, se humanarum [illegible] pertæsum, ad beatarum animarum chorum aspira[illegible]. Quid ego morer (inquiebat) in his terris? Quid diu[illegible] hæream in immundo hoc mundo, sceleratè ingrato, [illegible] furiosè Dei verbo clarissimo bellum indicente? Quo[illegible] optabat impendentibus tempestatibus se præripi? nõ

quòd nulla Ecclesiæ cura tangeretur (de huius enim cura nunquam non erat solicitus, vti de sua salute securus) sed quòd eam Parenti suo & patrono omnipotenti, precibus ardentissimis antè commendasset. Quid quòd mortem iam imminentẽ, alacriter excepit, & fortiter sustinuit: animam suam ei, qui dederat, quémque religiosè coluerat ipse, cõmendans, peccatorum culpam deprecans, misericordiæ Dei fiducia nixus, piis precibus identidem iteratis, leni, placido, & optabili mortis genere, sine mortis dolore, Postrid. Non. Ianuarus, sub quintam matutinam, expirauit: Sic ex hac fece & colluuione, in illam, quam anhelabat, solam veréque vitam, transiit; iucundissimo triumpho cælos inuectus, & immortali beatitatis laurea, post tot præclaras victorias à summo Brabeuta donatus, sempiterna gloria redimitus, ac iuxta pios Reges, Principes & Patriarchas, imò iuxta sanctissimum Patrem collocatus: Quam ei felicitatem non inuidere, sed gratulari debemus.

Affulget præterea singulare in hoc genere solatium, quod nos iterum in bonam spem, & certam commodorũ priorum expectationem erigit. Quod enim de Theodõsio Ambrosius, id de nostro merito dicimus: Ergo tantus Imperator recessit à nobis? sed non totus recessit: Reliquit enim nobis seu Honorium, seu Arcadium, in quo debemus eum agnoscere, & in quo eum & cernimus, & tenemus. Nec moueat ætas, fides militum Imperatoris, perfecta ætas est. Est enim perfecta ætas, vbi perfecta est virtus, &c. Illustrissimum dico, Generosissimumque Principem FRIDERICVM IV. vt auiti nominis, & iam Electoralis dignitatis, sic pietatis, & virtutis, paternæque bonitatis & munificentiæ hæredem, patruique sui fidelissimi nutricij, diligentissimum in omni genere verorum ornamentorum imitatorem. Sic enim sperare iuuat: imò iubet indoles eius diuina, & pulcerrima illa animi contentio, qua maiorum virtutibus non tantùm haud inferior esse, sed longè superior euadere conuitur: qua nobis Auum, Patrem, Patruúmque denuo sistet ac repræsentabit. Est igitur, de quo

summas Deo gratias agamus: est, de quo nobis gratulemur: tum quòd tandiu nobis indignis vsuram Iohan. Casimiri concesserit: tum quòd ei tam feliciter educatum Principem, non tam ætatis quàm virtutis variæ flore nitentem, omniumque animos in expectationem summam attollentem suffecerit, qui tanquam sapiens & felix Salomo, (quod & Friderici nomen portendit) à Dauide sibi relictam prouinciam, tum domum Iehouæ extruendo, tum regiones in pace gubernando, ex piorum omnium voto, & de voluntate Dei sit egregia administraturus.

Denique in Dei prouidentiam oculos coniiciamus, qui nos hoc casu iustis de causis afflixit, vt ingratitudinem castigaret, securitatem excuteret, fidem acueret, pietatem probaret, pœnitétiam excitaret. Est ergo nobis omni mẽte contentione in id incumbendum, vt quam Deus iram denunciat, tum seria deprecatione leniamus, tum vera resipiscentia, vitiosorumque morum correctione placemus & auertamus. Ea profecto fuit hactenus nostrorum hominum, imò nostrum omnium, cæcitas, vt illustria Dei beneficia, in primis veræ religionis iubar, oculis euidentissimè proposita, vix agnouerimus: & obiecta vix aspectu diguati fuerimus: ea vitæ dissolutio, morumque peruersitas, vt proiecto pudore, in omne scelerũ genus haud pauci præcipites ferrentur: ea adhuc est oscitantia, vt tam clementiam quàm iustitiam Dei vilipendamus: ea multorum impietas, vt virtutem pro vitio habeant, turpia honesta ducant: ea labes omnium ordinum, vt vniuersi turpissimis se maculis contaminent. Qua fronte igitur inficiabimur, ea quę nobis accidũt mala, vt à nobis attracta, sic in nos merito redundare? Imò fateamur oportet, indulgentius, quàm pro merito, Deum nobiscum egisse. Si ex iustitia vitã æstimaret, exitio nos iampridem immersisset. Verùm adhuc emendationi vitæ salutem proponit: obstinationi certum interitum minatur. Illam igitur si susceperimus, est quod speremus: in hac si perseuerauerimus, sanè quidem, quas interminatur pœnas, quas antea luerunt alij, imò adhuc

regnæ potentissima luunt, eas minimè effugiemus.

Quocirca confugiamus ad preces, iisque nostram orationem concludamus. Vos me præeuntem sequimini taciti.

TE, ô clementissime Deus, supplices oramus, ne in ira tua nos corripias, & in furore perdas: sed maiorē tuæ gloriæ, quàm nostrorum meritorum rationem habeas: vtque porrò nos cæcutientes illustrare, Spiritu tuo sancto, dirigere errantes, remissos excitare, ac in peccata pronos à vitiis arcere velis: inprimis fac, vt eximia tua dona, religionem puram, & pios magistratus, in maiori precio habeamus, & vitæ sanctitate, ac innocentia nobis conseruemus. Rogamus etiam humilimè, vt Illustrissimum nostrum Electorem Fridericum, in hac ætate, & nouo munere, cunctis animi corporisque dotibus ornare, augere, & cumulare, ac ex alto virtute induere velis, vt quæ diuino tuo nomini gloriosa, salutaria Ecclesiæ, necessaria Reipub. nobis omnibus vsui sint, tum perspicaci mēte videre, tum voluntate propensa suscipere, tum constanti studio persequi valeat: nosque sub eius, verè Iedidiæ, Salomonisque vmvmbrâ, vitam in omni pietate & honestate transigamus. Amen.

Ne pagella vacaret, hos versiculos adiicere volui.

IOHAN. CASIMIRVS de se:

Οὐκ ἀέκων θνήσκω· λήξω ἰῦν ἔμμεν' ἐφόπτης
Πλείστων, ὧνπερ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν θανάτου.

Id est.

Haud equidem inuitus morior: ne cernere cogar
Plurima, nec durâ morte minora, mala.

* * *

Mi sine nocte diem, vitam sine morte, quietem
Dat sine fine Dies, Vita Quiesq; DEVS.

* * *

Quam viuens nunquam potui gustare quietem,
Mortuus in solida iam statione fruor.
Cura, labor, bellum, mors tandem, & pugna recessit
Corporis, & solum mens quod auebat, habet.

Idem ad superstites:

Tot vobis patriaeq; datum; iam laetus adibo,
Quae mihi, Christe, tuo parta cruore quies.
Te, dum vita fuit, colui; tua dogmata sacra
Nosse, ac tutari, maxima cura fuit.

Idem ad Fridericum IV. Electorem:

Nil Mausoleis opus est, statuisq; superbis,
In laudem nostri quas, Friderice, paras.

Gloria cælestis me iam tenet, vnica cura
Quæ fuit: in terris nil ego laudis amo.
Quin viuus monumenta mihi clarissima struxi:
Fornicis haud saxo contumulata iacent.
Oenotrius testis, Germanus, Gallus, Iberus,
Sarmata, Pannonius, Belga, Britannus erit.

FRIDERICVS CASIMIRO:

O vtinam viuo potuissem præmia digna
Reddere: pro meritis accipe nunc lacrymas.
Tu pater & custos rerum columenq; mearum,
Siccine eris luctus tu quoque causa mei?

In effigiem Ioh. Casimiri.

En vultum cernis pictum IANI CASIMIRI,
Non animum quisquam pingere ritè queat.
CONSTANTER *gesta* ET SINCERE *pro grege Christi*
Eous cantat, nec silet Hesperius.

* * *

Fama volat toto mundo, tumulus tenet ossa,
Cum Christo cepit meus pia regna poli.

Obiit Postrid. Nonas Ianuar. Ann. cIↃ IↃ XCII.
Natus Annos XLVIII. Menses X.

Stentori maledico:

Sis miser & nulli miserabilis, omnia quisquis
Pro merito in terris cuique venire putas.

Q. R. M.

Sophocl. φεῦ, τῦ θανόντος ὡς ταχεῖα τοῖς βροτοῖς
χάρις διαῤῥεῖ, καὶ προδοῦσ' ἁλίσκεται.

Distícha Numeralia

D. P. F.

Annus & dies obitus: & ætas.

Ter qVasVor VIX LVstra tIbI, bene CLaVserat ætas:
InCLIte tres reges te CasIMIre neCant.

Annus & dies obitus.

SeXta paLatInI CasIMIrI trIstIa fata
LVX IanI heI Cernens, CVr IaCet AtLas, aIt?

In xxvi Januarij exequiarum diem.

HaC est ILLa DIes nIgro InsCrIbenDa LapILLo,
QVa nostrI aspeXIt prInCIpIs eXeqVIas.